Nobilissimo Viro
CONSTANTINO HUGENIO
Equiti a Zuylichem
Celsitudinis Arausiensis Consiliario
et ab Arcanis

Gotefridus Wendelinus. S. D.

Ad Principem tuum Vir Nobiliss. proficiscentis huius opportunissima suggestio me mei admonuit, ut denuo vellem vivere post integri iam (et quod excurrit) anni mortem, valetudinem dico adversam: cum qua conflictatus hactenus ipsa vitâ, hoc est, memoriâ amicorum carui, literasque (vitae commeatum) nec attigi, nedum ut scriptionis sumerem confidentiam. Narrabat ille mihi splendidam te domum aedificasse Hagae-Comitis, duobus caminis fastigiatam, quibus singulae Sphaerae Coeli Terraeque insisterent. Poscebat quoque a me utrique suum ἐπιγραμμάτιον, si te amarem, si lusum hic ingenij tui aestimarem. Magna fuit haec et sacra obtestatio; in quam ne peccasse videar exhibeo tibi quae venâ magis quàm venâ placeant.

In Tellurem.

Qui solidum fumos Terrarum dixerit orbem
Hunc duco solum dicere quod solidum.

In Caelum

Inferior fumus Coelo est. Qui computat ista — <u>Sic scribo, non CAELUM.</u>
Est ipso Coelo iam nihil inferior.

Dudum est cum Camoenas istas postremum salutavi: et Nunc oblita mihi tot Carmina. magis placet meminisse honoris a te mihi habiti cum ante hoc triennium literas meas cum doctis viris Lugduni communicasti: qui quid curaturi sint ut Chronicon illud Samaritanum prodeat vehementer expecto. Problema meum de Casu lapidis hinc ad Centrum spatio 12 minutorum, e Luna ad nos sesquihorio, e Sole in Terras die solido, miserunt in Galliam. atque inde amici postulant ab ipso me solutionem. Scripsi ante paucos dies ad Academicos Lugdunenses et proportiones celeritatum aperui, inde praestolor responsionem, item et a te si poteris pristinam tuam voluntatem atque affectum conservare erga

Hera Cal. Iunijs
1639.

Tui plenum Gotefr. Wendelinum.
Heranum

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2105

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2105

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2105

Nobilissimo Viro
CONSTANTINO HUGENIO
Celsitudinis Arausiensis
Consiliario
et ab Arcanis.

Hagam Comitis

Rx 20 Junij a° 1639.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2105